

115

873

28

212

VII. 2/1
15kz


MAGYAR FERENCES
KÖNYVTÁR



01000359

Pro Singelijc udu
tij Penicula duda
1764.

~~873~~
~~28~~



VADO MORI.

S I V E

VIA OMNIS CARNIS,
MORTE DUCE, MORTA-

LIBUS

IN PROCESSIONEM MORTUO-
RUM MONSTRATA

AB ANTONIO STEINHAVERO,

E T

Publicè iteratò exposita occasione

UNIVERSÆ THEOLOGIÆ

Ad Mentem

DOCTORIS SUBTILIS

Propugnata

In Conventu Posoniensi ad B. V. an-
nuntiatam Annô 1739. Mense Die

P E R

R. P. CHRISTINUM KOLLAR, Ord.

Min. S. P. FRANCISCI strict. Observ. Prov.

S. MARIÆ Hung. AA. LL. & Philoso-
phiæ Lectorem Candidatum.

P R Æ S I D E

R. P. CASPARO LINTNER, ejusdem Ord.

& Provinciæ SS. Theologiæ Lectore
ordinario.

POSONII, Typis Mariæ Magdalena Royerin.



SUB
GRATIOSISSIMIS AUSPICIIS
REVERENDISSIMI
DOMINI
MATHIAE
MACK

Abbatis Sancti Nicolai de Er-
schy , Protho - Notarii Apostolici
Canonici , & Parochi Liberæ Regiæque Ci-
vitatis Posoniensis Vigilantissimi , Be-
neficiati ad S. Andream Apostolum
Meritissimi.

Dominii Mecoënatis No-
stri Colendissimi , faven-
tissimi.

CONCLUSIONES
Ex Universa
THEOLOGIA SCOTISTICA.

- I. *Theologia Viatorum non est propriè scientia.* II.
Nec subalternatur Theologiæ Dei, & beato-
rum. III. Existentia Dei est de essentia ejus. IV. Af-
finitas non est prædicatum ultimò distinctivum Dei. V.
Sed infinitas radicalis. VI. Præter realem in Divinis
admittenda est distinctio formalis ex natura rei. VII.
Sicut vera prioritas, & posterioritas originis. VIII.
Decretum antecedens non est Deo ratio cognoscendi e-
ventus liberos à creata voluntate futuros. IX. Nec
Scientia media. X. Sed Decretum concomitans. XI.
Perfectior intellectus cum aequali lumine gloria perfectio-
rem potest elicere visionem. XII. Quam non implicat
esse præcisivam. XIII. In Hypothesi Græcorum si Spi-
ritus Sanctus non procederet à Filio, adhuc ab hoc reali-
ter distinqueretur. XIV. Angeli pecare potuerunt in
primo creationis suæ instanti. XV. Potuit Angelus
peccare appetendo aequalitatem cum DEO affectu simpli-
cis complacenciac. XVI. Moralitas accidit physicæ en-
titati actus humani. XVII. Actus externus addit in-
terno novam bonitatem, vel malitiam. XVIII. Vo-
luntas liberè operatur, dum actu operatur. XIX. Ra-
tio formalis peccati consistit in privativo. XX. Non
repugnat pura omissione peccaminosa. XXI. Pecatum
mortale est finitæ gravitatis. XXII. Cui conjunctum ve-
niale non punitur pœnâ aeternâ in inferno. XXIII. Ju-
stificatio est effectus moralis gratiæ sanctificantis. XXIV.
Hæc est compossibilis absolutè cum peccato mortali.
XXV. Posset hoc remitti absque infusione illius. XXVI.
Sine actu etiam peccatoris. XXVII. Sola fides non suf-
ficit ad Justificationem de potentia ordinaria. XXVIII.

Actus contritionis , aut dilectionis DEI super omnia non
habet defactò vim justificandi formaliter. XXIX. Me-
riti a mortificata reviviscunt in subsequenti Justificatione.
XXX. Meremur augmentum gratiæ per actus etiam re-
missos. XXXI. Incarnatio verbi Divini fuit possibilis.
XXXII. Convenientius erat filium , quam Patrem ,
aut Spiritum Sanctum Incarnari. XXXIII. Et in or-
dine ad reparationem generis humani Christum assumere
naturam humanam magis congruum erat , quam Ange-
licam. XXXIV. Assumpit naturam humanam eius
propria existentia. XXXV. Non possunt plures Personæ
eandem simul numerō naturam assumere. XXXVI.
Tamen si non peccasset Adamus , adhuc venisset Christus.
XXXVII. Qui meritō unionis Hypostaticæ non fuit
impeceabilis proximè. XXXVIII. Fides est simpliciter
certior quolibet assensu scientifico. XXXIX. Cum
evidentia revelationis stat obscuritas sufficiens ad haben-
dam fidem DEI. XL. Quem tenemur magis appre-
tiativè diligere , quam creaturas. XLI. Charitas est
habitus realiter idem cum gratia habituali. XLII. Actus
charitatis Patriæ specie differt ab actu charitatis viæ.
XLIII. In statu legis naturæ fuit unum verum Sacra-
mentum , Originalis deletivum. XLIV. Non potest
puræ creature communicari potestas instituendi Sacra-
menta. XLV. Hæc causant gratiam moraliter solum.
XLVI. Eucharistia formaliter consistit in speciebus con-
secratis. XLVII. Ponitur Christus sub speciebus per
transubstantiationem adductivam. XLVIII. Confes-
sio nequit esse valida , & informis defectu doloris.
XLIX. Satisfaciēti in statu peccati remittitur aliquid
de pœna temporali. L. Forma Sacramenti Pœnitentia
salvatur in his verbis : Absolvo te.

O. A. M. D. G.

R E V E R E N D I S S I M E

D O M I N E , D O M I N E

M E C O Æ N A S G R A T I O S I S S I M E .

VAdo mori liber est (quem porrigo) par-
vulus iste ;

Hæc tamen est hominis **M A X I M A** vado
mori.

Vado mori quemcunque tenet , qui semen
Adami ,

Debeat quivis dicere , vado mori.

Vado Mori dicet defendens , Lector , & Abbas ,
Dicet & oppugnans , nunc ego vado mori .

Vado mori , mortem , non est , qui vinceret ,
ullus ,

Cogor ut oppugnans cedere , vado mori .

Vado mori , sed pace tuâ dignissime **P R A E -**
S U L ,

Hoc ego defendens offero vado mori .

Vado mori , sed corde bonô **M I T R A T E** **M E -**
C O Æ N A S

Hoc tibi nunc Lector dedico vado mori .

Vado mori , sic mactè animô **M A C K** ibis ad
astra ,

Cum tua jam præeant munera vado mori .

Vado mori , satis est , tua me Clementia vicit ,
Jussit & hoc bonitas edere vado mori .

D. D. D.

STATUTUM EST HOMINIBUS SEMEL MORI.

Heb. XI. 27.

LEx hominem SEMEL æqua MORI san-
cavit. Obibis

Mortalis ; sed , nè Bis moriare , cave !

Mors est ergo duplex ; mors corporis una
caduci ;

Altera mors animæ , quæ (a) sìne fine
manet.

Meta mali prior est , & vitæ Janua ; mortis

Altera vestibulum , principiumque mali.

Primam non poteris , poteris vitare secun-
dam.

Hanc potes , & non vis ; vis , aliámque
nequis.

Felix , qui primam sperat , metuitque se-
cundam.

Vivere cum CHRISTO concupit (b) ille
suo.

PRÆ-

(a) *Sc. Anima.* (b) *Cupio dissolvi , & esse
cum Christo.* Phil. I. 3.



PRÆFATIO

Ad Benevolum Lectorem,

Nè quis præcedentiam prætendat in Proces-
sione Mortuorum.

Mittitur in lucem Processio Mortis ; in illa
Invenies varios , Lector amice , status .

Non tamen incepsum potui deducere carmen ,
Esset ut in metris omnis in orbe status .

Scire quis bos omnes posset ? Mors cæca scit
omnes ;

Sed mihi præcipuos sit tetigisse satis .

Quos ego non memini , voveant , optentque
vicissim ,

Ut mors illorum non meminisse velit .

Sed vos , quos Mortis Processio longa recenset ,
Bellum pro primo nè sit honore , rogo .

Irasci nolite mihi , si forte praibunt ,

Qui vos deberent hoc in honore sequi :

Et memores sitis , quod sit Processio Mortis ;

Scitis enim , quo Mors ordine quemque ra-
pit .

Dux, Prætor, Cæsar, Cantor, Baro, Pictor,
Arator,
Rex, Doctor, Stultus, Caupo, Viator, Eques,
Navita, Chirurgus, Sartor, Venator, Ephæbus,
Sutor, Arithmeticus, Pistor, Agaso, Coquus,
Magni cum parvis, juvenes cum grandibus
ævō,

Ordine confuso Mortis inimus iter.

Cum rūdibus doctus, dives cum paupere tendit,
Mor omnes homines judicat esse pares.

Non opus est ergo, cur præcedentia stricte
Servetur, si quidem nulla tenenda foret.

Insuper ad Mortem rari præcedere malunt,
Ultimus econtra quilibet esse cupit.

Hinc condonandum credo, veniamque requiro,
Quod non procedant ordine quique suo.

Mors est directrix; si non bonus ordo tenetur,
Debeat Morti, non mibi culpa dari.

AD LECTOREM, ET AUDI- TOREM.

De Doctrina Mortis.

Disce mori, quicunque legis mea carmina Lector!
Quisquis es, auditor! tu quoque disce mori.
Disce mori, quicunque cupis cælestia regna.

Si vis cum Christo vivere, disce mori.

Disce mori, si vis animam salvare perennem.

Hæc est in cunctis unica, disce mori.

Disce

Disce mori ; si morte mala moriere , misellus
Semper eris : quare flagito , disce mori.
Disce mori ; si morte bona moriere , beatus
Semper eris : quare consulio , disce mori.
Disce mori ; fugiunt cita tempora , labitur ætas.
Dum breve tempus habes , incipe , disce mori.
Disce mori ; nam , quando tuos Mors claudet
ocellos ,
Tunc serum nimis est , hinc modò disce mori.
Disce mori ; nullum piguit , nullumque p̄gebit
Sancta morte mori discere , disce mori.
Disce mori ; multos piguit , multosque p̄gebit
Non voluisse mori discere , disce mori.
Disce mori , cunctas ars hæc supereminet artes.
Nil profunt omnes hac sine , disce mori.
Disce mori ; satis est , unum si sciveris illud.
Quamvis nescieris cætera , disce mori.
Disce mori ; nihil est , unum nisi sciveris illud ,
Quantumvis scieris cætera , disce mori.
Disce mori ; nescis , quoadusque superstes haberis.
Mors sua libravit spicula , disce mori.
Disce mori ; versus hæc est intentio nostri.
Nulla mihi petitur gloria , disce mori.
Disce mori mundo , devincere dæmona disce ,
Disce voluptates spernere , disce mori.

Ad Momum Criticum.

Disce mori , nec carpe dicax pia carmina Mome !
Carpere dedicas , Critice , disce mori.

*DIALOGUS
MORTIS ET POËTÆ
ARGUMENTUM DIALOGI.*

Poëta Montem Parnassum scansurus ab obvia Morte impeditur, & se sese moriturum intelligit.

Poëta.

Este salutati colles & culmina Pindi! (c)
Vos ego non raro scandeo Poëta pede.

Mors.

Siste pedem! posthac Pindum te scandere nolo.
Vade viam mecum, quam nigra fata jubent.

Poëta.

Quæ tua te monstrum genuit tam rustica mater,
Quòd me propositam non sinis ire viam?

Mors.

Mors ego sum, primi genuit me crimen Adami:
Imperio vivens subjacet omne meo.

Poëta.

Cede! nihil nobis atra cum morte Poëtis,
Aonii (d) vates utpote morte carent.

Mors.

Mortis in Aonios jus est æquale Poëtas,
Ut mea falx hominum demetit omne genus.

Poëta

(c) Parnassus & Pindus à Poëtis promiscuè sumuntur, estque mons Musis sacer, quem Poëta scandere se fingunt.

(d) Poëta, qui & vates dicuntur, ab Aonia regione Basilia, in qua est Parnassus, Aonii cognominantur.

Poëta.

Falx metat in pratis tribulos, & gramina sternat,
Flos (e) Pindi nulla falce metente cadat.

Mors.

Falx mea purpureum sternit cum gramine florem,
Flósne sit, an stramen, concidit omnis homo.

Poëta.

Concidat omnis homo, sed tu nos scito Poëtas
Esse homines inter quid mediūmque Deos.

Mors.

Contra vim Mortis, contra mea spicula, nullum
In Mundo medium, scito, Poëta dari.

Poëta.

Si sic, in faciem nobis mentitur Apollo, (f)
Cujus ab eloquio morte Poëta caret.

Mors.

Morte carent virtus & gloria, famaque vatum.
Vatibus hoc tantum spondet Apollo suis.

Poëta.

Quid mihi, si morior, virtus & gloria prodest?
Quidve potest manes (g) fama levare meos?

Mors.

Una facit virtus, ut sis post funera vivus.
Virtuti studeas, atque beatus eris.

Poëta.

Unde beatus ero, si me Mors barbara tolles?
Quem tua falx sternit, flósne beatus erit?

A 4

Mors

(e) Intellige Poëtam. (f) Deus Poëtarum. (g) Manes dis-
cuntur animæ Defunctorum.

Mors.

Janua sum vitæ: Si non es morte peremptus,
Regnans cum Christo non potes esse tuo.

Poëta.

Die mihi, quî potero cum Christo regna tenere?
Discendique modum da mihi, dâque moram.

Mors.

Disce mori vivendo piè, moriendóque vives,
Quando cum Christo Rex sine fine reges.

Poëta.

Ergo, ut cum Christo tandem post funera regnem,
Emoriar; vitam mors dabit ipsa novam.

Jámque mihi musæ (b) supremum dicite carmen,
Hoc argumentum sit breve: *Vado mori.*

Vado mori, funto versùs exordia mœsti.

Sit versùs eadem clausula: *Vado mori:*

Vado mori: nostræ cùm sint exordia vitæ,
Hæcque sit ejusdem clausula: *Vado mori.*

**PROCESSIO
MORTUORUM.**

Mors.

SUm via coñunis, per quam caro præterit omnis.
Me duce nunc ineas hoc iter omnis homo.

Homo.

Vado mori mortalis homo (i) *concretus in alvo;*
Dùmque brevi vixi tempore, *vado mori.*

Mors.

(b) Deæ Artium, quarum sunt numeri novem, quæ cum Apolline in Parnasso resident, & à Poëtis ad inspiranda carmina invocantur. (i) Homo natus de muliere brevi tempore. Job, XIV. I.

Mors.

Præ Laicis Clero primi debentur honores ,
Præ Laicis ergo splendide Clere veni !

HIERARCHIA ECCLESIA-STICA.

Papa.

Vado mori , tibi Roma novum nunc elige *Papam* !
Mors jussit claves reddere , vado mori.

Cardinalis.

Vado mori magnus , decorat quem *purpura* , Præsul.
Jam mea *pallescit purpura* , vado mori.

Patriarcha.

Vado mori , *Patriarcha* viam patefecit *Adamus*.
Hanc ego cum priscis ambulo , vado mori.

Archi-Episcopus.

Vado mori mitrâ sacer *Archi-Episcopus* altâ.
Mors calcat *mitræ cornua* , vado mori.

Nuncius Apostolicus.

Vado mori Sedis Romanae *Nuncius* , illud
Pontifici Romam *nuncio* : vado mori.

Episcopus.

Vado mori , nobis succedat *Episcopus* alter.
Pontificale pedum defero , vado mori.

Suffraganeus.

Vado mori , nemo mihi suffragabitur ! ergo
nec suffragari plus volo , vado mori.

Præpositus.

Vado mori , vellem nunc unicuique libenter
Præpositi munus cedere , vado mori.

Decanus.

Vado mori Cleri præses, magnusque *Decanus*.
Elige nunc alium Clerice ! vado mori.

Archi-Presbyter.

Vado mori, morti non est discretio Cleri.
Excepto morimur nemine, vado mori.

Fiscalis.

Vado mori, mulctam *Fiscali* funera dictant.
Pro mulcta vitam portigo, vado mori.

Camerarius.

Vado mori, nolo *Camerarius* esse, resigno.
Mors est in *Cameris* abdita, vado mori.

Definitor.

Vado mori, vixi, *Definitorque* peregi
Definita mihi tempora, vado mori.

Custos.

Vado mori *Custos*, non est custodia vitae.
Mors nos oppugnas undique, vado mori.

Canonicus.

Vado mori, *Canones* Mors imperterrita spernit;
Corpora prosternit Clerica, vado mori.

Præbendarius.

Vado mori, *Præbenda* vale *præbenda* sequenti,
Prædam me morti *præbeo*, vado mori.

Concionator Aulicus.

Vado mori, longos sermones *Aulicus* odit.
Hæc ergo brevis est concio : vado mori.

Capellanus Aulicus.

Vado mori, jubeor currentem dicere *Missam*.
ITE domum, *MISSA EST* integra, vado mori.

Parochus.

Vado mori *Pastor*, me grex meus usque sequatur.
Ad cæli tendo *pascua*, vado mori.

Sacellanus.

Vado mori, volvi fieri cum tempore pastor.
Fata vetant, & Mors invida ; vado mori.

Presbyter.

Vado mori, sacram non sum securus *ad aram*.
Mors aram violas impia ! vado mori.

Diaconus.

Vado mori, salve Mors optatissima ! lætor,
Cùm mihi lata feras (k) nuncia ; vado mori.

Sub-Diaconus.

Vado mori, Fratres ! hortatur Epistola prima : (l)
Hora est de somno surgere, vado mori.

Catechista.

Vado mori, summus Catechismi terminus instat,
Mors, Judex, Orcus, Gloria, vado mori.

HIERARCHIA RELIGIOSA.

Mors.

Quidquid se claustris, quidquid se condidit antris,
Exeat, exemptus non datur Ordo mihi.

Generalis Ordinis.

Vado mori, lex est generalis, & hæc Generales
Obligat in quovis Ordine, vado mori.

Abbas.

(k) Id est Evangelium, cuius recitatio Diaconorum & re-
citatio Epistole Subdiaconorum est.

(l) Dominica prima Adventus ad Rom. XIII. II.

Abbas.

Vado mori vester, Monachi, Venerabilis *Abbas*.
Quis modò vult mecum vadere? vado mori.

Visitator Ordinis.

Vado mori, vivos metuit mors *visere* Fratres.
Debeo *defunctos visere*, vado mori.

Provincialis.

Vado mori, nova monstratur *Provincia* nobis.
Ex hac nunc in eam transmigro, vado mori.

Socius Provincialis.

Vado mori, solus meus ito *Praeses*! oportet
Me *Socium morti jungere*, vado mori.

Exprovincialis.

Vado mori, titulô nimium compellor ineptô.
Nominer ut vero (*m*) nomine, vado mori.

Prior.

Vado mori, *Patri loquitur Libitina* (*n*) *Priori*.
Ite chorum, Monachi, me sine, vado mori.

Rector.

Vado mori *Rector*, valeant *collegia nostra*.
Mors *Collega* meus fit modò, vado mori.

Guardianus.

Vado mori, totum Mors vastat & occupat orbem.
Nulli *salva datur guardia*, vado mori.

Superior.

Vado mori, primus num quis sit an infimus,
unum est.

Mors miscet summis infima, vado mori.

Sub-

(*m*) *Exprovincialis sumitur hic quasi extra Provinciam.*

(*n*) *Libitina Deafunerum.*

Sub - Prior.

Vado mori , Patrem primus sequor ipse Priorenz.
Ultimus & primus non eo, vado mori.

Minister.

Vado mori , vestrum vetuit mors esse Ministerum.
Jamque ministerium finio , vado mori.

Vicarius.

Vado mori , nemo meus esse Vicarius optat.
Ipse meo fungor munere , vado mori.

Senior.

Vado mori Senior , senium jam gratia rara est.
Vix videoas unum Nestora , (o) vado mori.

Concionator.

Vado mori , dixi toties de morte futura.
Illud adhuc moriens prædico , vado mori.

Professor Theologiae.

Vado mori , requiem num sim visurus , an ignem.
Hæc est subtilis quæstio , vado mori.

Lector Theologiae.

Vado mori , multùm sum de Deitate locutus:
Nunc beet ipsa Dei visio , vado mori.

Professor Philosophiae.

Vado mori , vacuum Mors velle probare videtur,
Omnia dum tollit corpora ; vado mori.

Lector Philosophiae.

Vado mori , toto Mors semper in orbe vagatur,
Mors est continuum mobile , vado mori.

Biblio-

(o) Nestor , quem alii 90 , alii 300 , annos vixisse volunt.

Bibliothecarius.

Vado mori, libro mihi mors reperitur in omni.

Gens mecum (*p*) loquitur mortua; vado mori.

Magister Novitiorum.

Vado mori, juvenes docui vos plurima Fratres!

Illud adhuc unum discite, vado mori.

Confessionarius.

Vado mori, lævam mihi mors dicebat in aurem:

Non potes absolvī, vadito! vado mori.

Cellarius.

Vado mori Bacchi supremus in arte minister,

Bacche vale, serva dolia! vado mori.

Archimagyros.

Vado mori, rex ante focum dominusque culinæ.

Finita est regni gloria, vado mori.

Procurator.

Vado mori, Fratres! vester Curator habebar.

Nunc alii curam tradite, vado mori.

Dispensator.

Vado mori, vitam rector dispensat Olympi.

Parva cuique datur portio, vado mori.

Bursarius.

Vado mori, bursam cum nummis seruo tumentem.

Illam nunc alter sumito, vado mori.

Granarius.

Vado mori, Superi! quotsunt tibi spicula mortis?

Non tot sunt Cereri (*q*) granula, vado mori.

Sacri-

(*p*) Alluditur ad illud tritum Bibliothecariorum: LOQUOR CUM MORTUIS. (*q*) Ceres Dea frugum.

Sacrista.

Vado mori rerum custos *Sacrista* sacrarum.

Nulla datur morti res sacra, vado mori.

Lector Mensæ.

Vado mori, prandete mei bibitotēque fratres.

Interea vobis prælego : vado mori.

Monachus.

Vado mori *Monachus*, valeat Prior asper & Abbas,
Solvendus claustrī carcere, vado mori.

Ostiarius.

Vado mori, quidam pulsavit ad *ostia* claustrī.

Quis sit, id ex strepitū colligo, vado mori.

Frater Clericus.

Vado mori, magnus siam super astra *Sacerdos*.

Primitias illuc defero, vado mori.

Frater Laicus.

Vado mori ; *Laicus* Fratrum postremus habetur.

Mors omnes æquat pallida, vado mori.

Novitius.

Vado mori, claustrum petii, mundo valedixi.

Mundum cum claustro defero, vado mori.

Eremita.

Vado mori, cæco me mors invenit in antro.

In lucem raptus prodeo, vado mori.

STATUS AULICUS.

Mors.

VOs quoque, qui populos regitis, vestrōsque
clientes,

Estis de servis mancipiisque meis.

Cæsar-

Cæsar.

Vado mori Cæsar supremus in orbe Monarcha.

Sed Mors est major Cæsare, vado mori.

Rex.

Vado mori, non sum Rex illa lege solutus,

Rex magnus vili cum grege vado mori.

Elector.

Vado mori, dulcis non est electio vitæ

Me penes ; omnis abest optio, vado mori.

Dux.

Vado mori de stirpe Ducum Dux ipse creatus.

Quò mors me ducat, nescio, vado mori.

Princeps.

Vado mori Princeps, à primo denique vitæ

Principio potui dicere : vado mori.

Comes.

Vado mori Comitum sanguis, comes iboque mortis.

Mors est incomis bestia, vado mori.

Baro.

Vado mori claro liber Baro stemmate natus.

Stemmata mors nescit libera, vado mori:

Eques.

Vado mori generosus Eques, temeraria gaudet

Mors equites ab equis sternere, vado mori.

Comes Palatinus.

Vado mori, Diploma meum Mors stivola cassat,

Quamvis à summo sit Jove, vado mori.

Nobilis.

Vado mori, fallax est nobilitatis imago,

Virtus nobilitas unica, vado mori.

MINI.

MINISTERIUM.

Mors.

Ejicio Magnos, invito rege, ministros.

Omnis ad imperium se movet aula meum.

Vice-Rex.

Vado mori Vice-Rex, non est mihi tanta potestas,

Ut mortem valeam pellere, vado mori.

Primus Minister.

Vado mori, *primum* Mors effrænata Ministrum

Abdicat, invito Principe, Vado mori.

Plenipotentiarius.

Vado mori, quid jam mihi plena potentia prodest?

Mors in nulla coit fædera, vado mori.

Legatus.

Vado mori, Mortem Deus omnem legat in orbem.

Nunciat hæc cunctis, quæ mihi, vado mori.

Cancellarius.

Vado mori, Fatum Cancellos intrat apertos,

Quando clausa videt limina, vado mori.

Aulæ Præfctus.

Vado mori, Mors sceptræ tenet, Mors regnat in

Aula.

Stare sub hoc nequeo præside, vado mori.

Consiliarius Intimus.

Vado mori, Morti quis Consiliarius audet

Mandanti contra dicere? vado mori.

Ceremoniarius.

Vado mori, toto frustra me corpore curvo.

Debeo me sub humum mergere, vado mori.

Camerarius.

Vado mori, cameram mihi Mors assignat opacam.
Fetalem tumbam pandite! vado mori.

Nobilis Aulicus.

Vado mori, Mors & Livor regnatis in aulis,
Aulica vita vale, pompaque! vado mori.

Thesaurarius.

Vado mori, ne queo miser intractabile Lethum,
Nec prece, nec pretio flectere! vado mori.

Dapifer.

Vado mori dapifer, Mors virus miscuit escis,
Dum prælibavi paucula, vado mori.

Pincerna.

Vado mori, nullam dant pocula pota salutem:
Pocula fecerunt, quod modò vado mori.

Ephæbus.

Vado mori, Mortem reginam testor, ephæbum
Me cupit, aula vale pristina! vado mori.

Morio.

Vado mori *stultus*: si mors non esset, in orbe
stultis plena forent omnia, vado mori.

MUSICI.

Mors.

Musice plaudere manu, pede plaudito, voce,
chelique.

Sic omnis tetricæ Mortis amator abit.

Capellæ Magister.

Vado mori, ludat jam Musica moesta PIANO.
ALLEGRO tædet ludere, vado mori.

VOCALISTÆ.

Discantista.

Vado mori, poteram modulando faxa movere,
Mors immota manet duráque, vado mori.

Altista.

Vado mori; vox, spes, & amor festinat in *altum*.
Ad cæli propero gaudia, vado mori.

Tenorista.

Vado mori, cecini modulamina dulcia quondam;
Hæc est finalis nænia: vado mori.

Bassista.

Vado mori, querulos imitor moribundus olores.
Fata cano rauco gutture, vado mori.

INSTRUMENTALISTÆ.

Organista.

Vado mori, folles exspiravere gementes.
Nunc mea mutescunt organa, vado mori.

Tiorbista.

Vado mori, si Mors non essem surda, movere
Te mea deberet musica, vado mori.

Cymbalista.

Vado mori, pecudes resonantia *cymbala* mulcent.
Mortem non mulcent *cymbala*, vado mori.

Violinista.

Vado mori, ruptâ non possum ludere *chordâ*,
Corde nec abrupto vivere, vado mori.

Gambista.

Vado mori, *chordâ* Mors semper oberrat eâdem.
Est auditori nausea, vado mori.

Violoncellista.

Vado mori, resona mea *pandurella* trophæa.
Augebo cæli cantica, vado mori.

Violonista.

Vado mori, perrumpe tuum *pandura tri-um-phum*,
Ludens illudens *tar-ta-ra!* vado mori.

Cornicen.

Vado mori, plenis inflavi *cornua* buccis.
Nunc mea suspendo *cornua*, vado mori.

Buccinator.

Vado mori, binas cava *buccina* clangit in aures,
Ut sistar coram judice, vado mori.

Fagotista.

Vado mori, vultu conluevi flare rubenti.
Nunc efflans animam palleo, vado mori.

Hauboista.

Vado mori, careo spiramine, nescio flare,
Mors mea constrinxit guttura, vado mori.

Tubicen.

Vado mori; stertam, donec clangore *tubarum*
Exciter è tumuli fornice, vado mori.

Tympanista.

Vado mori, resonum date *tympana* pulsa tumultū.
Sic ego cum sonitu transeo, vado mori.

STATUS JUDICIALIS.

Mors.

Pars condemnatur ; quamvis audita negetur,
Est in Judiciis lex tamen æqua meis.

Ju-

Judex.

Vado mori *Judex*, hæc est *sententia mortis*,
Quam Deus ipse tulit, non homo, vado mori.

Assessor.

Vado mori *Assessor*, jussit me surgere Lethum.
Interdicta mihi *sessio*, vado mori.

Protocolista.

Vado mori, scripsi toties ego fontibus: **ACTUM**
Est actum mecum denique, vado mori.

Advocatus.

Vado mori, potui multorum vincere causas,
In causa propria concido, vado mori.

Notarius.

Vado mori, frustra fit *protestatio contra*.
Nil valet hæc juris formula, vado mori.

Actor.

Vado mori, nulli contra datur *actio Mortem*.
Non habet illa *forum juraque*, vado mori.

Testis.

Vado mori, Christus *Judex*, & Tartarus *actor*,
Mens *rea testis* erit conscientia, vado mori.

Reus.

Vado mori, causâ cecidi, condemnor in omnes
Expensas, solvo cum cute, vado mori.

ACADEMIA.

Mors.

Quisquis Apollineo nomen concredidit Albo,
Prodeat! ad festum funebre quemque *cito*

Pedellus.

Vado mori, me mox Academia tota sequetur,
Cum Sceptro mortis præmigro, vado mori.

Rector Magnificus.

Vado mori, jam morte citor veniente Pedello
Magnificus Rector, pareo, vado mori.

FACULTAS THEOLOGICA-

Mors.

Res est, Theologi (r) nimis ardua TRINUS &
UNUS,

Mors est materies viribus æqua magis.

Doct̄or SS. Theologiae.

Vado mori; docui, quid trinum Numen & unum
Nunc me trine Deus suscipe! vado mori.

Interpres Sacrae Scripturæ.

Vado mori, Mortem genuistis Adamus & Eva.
Hoc est in causa, cur ego vado mori.

Controversista.

Vado mori, cœpit nunc controversia finem,
Mors mea decidit jurgia, vado mori.

Casuista.

Vado mori, posuit mors adversaria casum,
Quem verè nequeo solvere, vado mori.

Moralista.

Vado mori, titulō quō Moralista vocabor?
Morti nec mores, nec mora, vado mori.

Canonista.

Vado mori, mors est homini decreta cuivis.
Has decretales explicō, vado mori.

Do-

(r) Theologus habet primam origine brevem, sed Orenus
& alii necessitate metri producunt.

Doctor Bullatus.

Vado mori; nihil est, nisi *bulla*, scientia nostra,
Et quid vita? brevis bullula, vado mori.

Licentiatus Theologiæ.

Vado mori, non est rata nostra *Licentia morti*,
Non sinit huncce gradum sumere, vado mori.

Theologus Speculativus.

Vado mori, flammis an materialibus Orcus
Ardeat, experiar denique, vado mori.

Theologiæ Candidatus.

Vado mori; dum mente Deum super astra videbo,
Magnus *Theologus* tunc ero, vado mori.

FACULTAS JURIDICA.

Mors.

Cultores Themidis, (s) Legumque venite periti!
Quæ via sit *Juris*, vos docuisse volo.

Juris utriusque Doctor.

Vado mori sanctum Jus est, *injuria nulli*
Hic fit, & hic nulli gratia, vado mori.

Professor Juris Publici.

Vado mori, terras dat publica jura per omnes
Mors legum latrix maxima, vado mori.

Professor Feudorum.

Vado mori, feudum vita est humana, reposcit
Hoc Dominus fixo tempore, vado mori.

Professor Novellarum.

Vado mori, Mortis non sunt in jure novellæ.
Stat, stetit, & stabit lex ea: vado mori.

Professor Codicis.

Vado mori, codex reteget mea crimina major
Justinianeo codice, vado mori.

Professor Digestorum.

Vado mori, quævis Mors digerit ordine nullo.
Cum Doctore venit morio, vado mori.

Professor Institutionum.

Vado mori, gentes Mors jus exercet in omnes,
Omnis obedit ei natio, vado mori.

Licentiatus Juris.

Vado mori, mors atque Themis sunt, credo, sorores.
Nullum respiciunt utraque, vado mori.

Jurista Practicus.

Vado mori, nunc Ivo (*t*) tuam demittito scalam,
Ut cælum possim scandere, vado mori.

Candidatus Juris.

Vado mori Jurista, suum mors æqua cuique
Reddit, & hæc legum sanctio, vado mori.

FACULTAS MEDICA.

Mors.

Eripuisse mihi Medicus se jactitat ægros.

Nunc te Phæbe (*u*) tua, si potes, arte juva.

Doctor Medicinæ.

Vado mori Medicus, medica mors prævalet arte.
Morbos non cohibent vincula, vado mori.

Profes-

(*t*) *S. Ivo Jurista & Advocatus, de quo jocosè dicitur, quod scalam in Cælum attraxerit, ne Jurista possint ascendere.*

(*u*) *Phæbus vel Apollo Deus Medicorum, sumitur à Poëtis pro perito Medico.*

Professor Anatomiae.

Vado mori, siam verissima mortis imago.

Instat membrorum sectio, vado mori,

Professor Chimiæ.

Vado mori, Mors me vult ingeniosa docere

Materiam primam quærere, vado mori.

Professor Botanice.

Vado mori, contra Mortem nec gramen in horto,

Nec panacea solet crescere, vado mori.

Licentiatus Medicinæ.

Vado mori, licitum Medicis occidere dicunt.

Hoc in morte vacat scommate, vado mori.

Medicinæ Candidatus.

Vado mori, non est hominis sanabile corpus,

Cùm Mors enervat pharmaca, vado mori.

FACULTAS PHILOSOPHICA.

Mors.

MORS NULLI PARCIT : Vos lumina clara So-
phorum

Hanc oppugnetis, Præside Morte, thesim.

Philosophiæ Decanus.

Vado mori, siquidem Mors est non esse, Decanus

Qui fueram, posthac non ero, vado mori.

Promotor.

Vado mori, Mors arte rudes artisque peritos

Promovet invita Pallade, (x) vado mori.

Promotus.

Vado mori, cassos habuit *promotio sumptus*.

Scandere Mors prohibet pulpita, vado mori.

Præses Disputationis.

Vado mori, sub me ferrebant Præside pugnæ.

Nunc cum Morte theses ventilo, vado mori.

Defendens.

Vado mori, Morti concedere debeo totum.

Frustrà distinguo, vel nego, vado mori.

Opponens.

Vado mori, quid me Fatis opponere conor?

Cum surdis frustra dispu^to, vado mori.

Doctor Philosophiæ.

Vado mori, Princeps ubi nunc Doct^rque Sophia,

Magnus Aristoteles, vel Plato? vado mori.

Magister septem Artium.

Vado mori, septem quid discere profuit artes?

Nulla docet longum vivere, vado mori.

Professor Metaphysicæ.

Vado mori, summum ENS, cuiuslibet entis origo

Tu miserere mei, cùm modò vado mori.

Professor Physicæ.

Vado mori, corpus quis naturale vetabit

Obj^{ct}um mortis ponere? vado mori.

Professor Physicæ Experimentalis.

Vado mori, Physicam potero post fata suprema

Experimentalē tradere, vado mori.

Profes-

Professor Logicæ.

Vado mori , *Syllogismum* (y) Mors fecit, in illo
Invenio medium nullibi, vado mori.

Philosophiae Magister.

Vado mori, *Sophia* (qualis sum) verus *amator*
Non curat mundi ludicra, vado mori.

Philosophiae Baccalaureus.

Vado mori, titulos dat *Philosophia* caducos.
Bacca perit, flaccet *laurea*, vado mori.

Philosophiae Repetitor.

Vado mori, Mors est *vitosus circulus*, illum
Nulla cavere docet regula, vado mori.

Metaphysicus.

Vado mori, nihil est revera mortis imago!
Me tamen ipsa potest angere, vado mori.

Physicus.

Vado mori *Physicus*; quid sit *natura* docebor
Solvens *naturæ debita*, vado mori.

Ethicus.

Vado mori, valeas *Ethice*! tua regula nulla est,
Mors non vult *mores* discere, vado mori.

Logicus.

Vado mori, *Logicas*; non est tam forte *dilemma*,
Quod Mortem possit *stringere*, vado mori.

Sophista.

Vado mori; nullum scio tam subtile *sophisma*,
Quod Mortem possit *fallere*, vado mori.

Dia-

(y) *Syllogismus* habet secundam origine brevem, sed teste
P. Aler, ob necessitatem tutò producitur, vide gradum
ad Parnassum.

Dialecticus.

Vado mori, Mors est fatalis *terminus*, illum
Copula nulla potest *necere*, vado mori.

M A T H E S I S.

Mors.

Naturam superas, aut æquas docta Matthesis,
Sed me non æquas, nec superare potes,

Professor Matthesis.

Vado mori, vitámque Deum, volucrúmque volatus,
Hæc duo posteritas erue, vado mori.

Astrologus.

Vado mori cæli speculator, totus in astris.
Ut propiis spectem sidera, vado mori.

Geographus.

Vado mori, regio nulla est incognita Morti,
Omnia mors lustrat climata, vado mori.

Geometra.

Vado mori, toto non est locus ullus in orbe,
In quo me possim condere, vado mori.

Gnomonicus.

Vado mori, moritur Titan (y) oriturque; perennem,
Dum morior, noctem dormio, vado mori.

Arithmeticus.

Vado mori, numerus non est numerabilis ille,
Quot mors occidat corpora, vado mori.

HUMA-

(y) *Titan idem est cum Sole.*

HUMANIORA.

Mors.

Vos quibus inferior gradus est in Palladis aula,
Cum Ducibus vestris Mortis adite scholam.

Professor Eloquentiae.

Vado mori, Mors surda manet; si Tullius (z) essem,
Irrita nostra foret dictio, vado mori.

Orator.

Vado mori, quando finitur dictio, DIXI,
Dicere nunc, VIXI, debeo, vado mori.

Poëta Laureatus.

Vado mori, vestrum Musæ lugete Poëtam!
Heu mihi! mors non est fabula, vado mori.

Professor Rhetoricae.

Vado mori, valeantque tropi, valeantque figuræ!
Nil juvat ornatè dicere, vado mori.

Professor Poësis.

Vado mori, finem quæras in carmine tyro!
In vita finem respice, vado mori.

Magister Syntaxis.

Vado mori, quoddam capit excipe regula quævis,
Excipitur mortis regula, vado mori.

Magister Grammaticæ.

Vado mori, nullum beat emendata loquela,
Ait emendatè vivere, vado mori.

Magister Rudimentorum.

Vado mori, mors præterito, præsente, futuro,
In quovis regnat tempore, vado mori.

Magi-

(z) Nomen Ciceronis.

Magister Principiorum.

Vado mori, tantum sex casus esse docebam,
Mors reperit centum millia, vado mori.

Rhetor.

Vado mori, nulla Mors persuadetur ab arte,
Ut velit oranti parcere, vado mori.

Poëta.

Vado mori, longam volui producere vitam,
Mors breviauit eam, cùm modò vado mori.

Syntaxista.

Vado mori, volui descendere culmina Pindi,
Facta mihi mors est obvia, vado mori.

Grammaticus.

Vado mori, Mors est indeclinabilis omni
Grammatico, valeant grammata! vado mori.

Rudimentista.

Vado mori, Mortem (sexum quia claudit utrumque)
Communis generis censeo, vado mori.

Principista.

Vado mori, Casus Mors Ablativus habetur;
Mortales aufert undique, vado mori.

Purgator.

Vado mori, pravis purgat Mors civibus urbes,
Et male morigeris Gymnada, vado mori.

Pulsator.

Vado mori, finis pulsatur, abite Scholares!
Classis habet finem vitáque, vado mori.

Præceptor.

Vado mori, Præceptor eram, præcepta relinquo.
Hæc ediscatur lectio: vado mori.

Alphabetarius.

Vado mori, mors est finalis littera, totum
Nunc *Alphabetum* calleo, vado mori.

STATUS CIVILIS.

Mors.

O Cives! Cives! vestras Mors intrat in urbes,
Mors spoliat pagos, rustica turba, tuos.

Satrapa.

Vado mori, *Satrapas* iratos munera placant.
Munera non placant funera, vado mori.

Consul.

Vado mori *Consul*, quis jam mihi *consulet*, oro?
Consilium nullum rescio, vado mori.

Prætor.

Vado mori, frustra *Prætor* (a) pro plebe *perorat*.
Mors nulli parcit, nec mihi, vado mori.

Senator.

Vado mori, fueram distinctus plebe *Senator*,
Nunc cum communi turbine vado mori.

Civis.

Vado mori *Civis*, non sum securus in urbe.
Mors urbis scandit moenia, vado mori.

Rusticus.

Vado mori, ruris renovator *rusticus*; ut mors
Me non rusticior sit, rogo? vado mori.

Vinitor.

Vado mori, vites sumunt per vulnera vires,
Post mea sic vivam funera, vado mori.

Vil-

(b) PRÆTOR per anagramma PERORAT.

Villicus.

Vado mori, teneor rationem reddere villa.
Si non subsistam, vae mihi! vado mori.

STATUS OECONOMI- CUS.

Mors.

OEconomus parcit, comparsum prodigit hæres.
Sic solers aliis mellia recondit apis.

Oeconomus.

Vado mori, quid me juvat Oeconomia fidelis?
Cui quæso, parsi? non mihi; vado mori.

Mercator.

Vado mori, flavos notus Mercator ad Indos.
Nunc mea cessabunt cambia, vado mori.

Scriba.

Vado mori, duro lex est in marmore scripta.
Radi nulla potest littera, vado mori.

Teloniarius.

Vado mori, morti sunt mille telonia, debent
Omnes vestigia pendere, vado mori.

Chirurgus.

Vado mori, vulnus frustra curare labore,
Quod fecit mortis lancea, vado mori.

Apothecarius.

Vado mori, si centum obeunt, vix astra adit unus.
Sic passim superant crimina, vado mori.

Barbitonfor.

Vado mori, barbam cultelli cuspipe rasif.
Mors falcem sumit rustica, vado mori.

Bal-

Balneator.

Vado mori, manat gelidus de corpore sudor,
Infernī timeo *balnea*, vado mori.

Caupo.

Vado mori *caupo*, venit novus *hospes* in ædes.
Eheu! pellor ab hoc hospite, vado mori.

Coquus.

Vado mori *coquus*, à Stygia me, quæso, culina
Jupiter astripotens protege! vado mori.

Hortulanus.

Vado mori, piëtos adamavi floribus *hortos*,
Rus lubet Elysium visere, vado mori.

Nauta.

Vado mori, portum Mors omnes portat ad unum,
Omnes expectat *Navita* (†) vado mori.

Venator.

Vado mori, mors est *venatrix* optima, nunquam
Illius errârunt spicula, vado mori.

Piscator.

Vado mori, pisces hamo mendace fefelli.
Nunc mors decepit me quoque, vado mori.

Auceps.

Vado mori; casses avibus dum tendo dolosos,
Illabor Mortis retia, vado mori.

Auriga.

Vado mori, novi variarum strata viarum.
Nunc iter ignotum visito, vado mori.

C

Opera-

(†) *Charon*, *Nauta infernalis*, qui animas defunctorum
ad littus Elysium trajicere fingitur.

Operarius.

Vado mori, calido panem sudore lucrabar,
Nunc rigeo mortis frigore, vado mori.

Triturator.

Vado mori, matrem (*b*) noctûque diûque flagello?
Vindicias sumit filia, (*c*) vado mori.

Messor.

Vado mori, mors falce metit, mors corpora sternit,
Ut *messor* sternit gramina, vado mori.

Fosfor.

Vado mori *fosfor*, *fossor* mors fecit apertam.
Hanc (eheu!) moriens incido, vado mori.

Lignicida.

Vado mori; sicut tremit icta bipennibus ornus,
Sic ego, ceu pinus, decido; vado mori.

Opilio.

Vado mori, prædatur oves lupus improbus, & mors
Aufert *Pastorem* de grege, vado mori.

Caprarius.

Vado mori, querulæ lamenta ciete capellæ!
Custodem vestrum plangite! vado mori.

Bubulcus.

Vado mori, reboat bos, & tu vacca remugis,
Grex plangit, quod ego tam citò vado mori.

Subulcus.

Vado mori, nigra mors non est Judæa propago.
Devorat illa fues cum duce, vado mori.

Ansera-

(*b*) Ceres Dea frugum sumitur pro frugibus.

(*c*) Proserpina Cereris filia, uxor Plutonis, arbitra mortis.

Anserarius.

Vado mori, texit Capitolia pervagil anser.
Prisca fides ubi nunc impie! vado mori.

Vigil Nocturnus.

Vado mori, somnō cives audite sepulti,
Horam supremam buccino; vado mori.

ARTIFICES.

Mors.

Artificum lacrymæ sunt, & sinè sine querelæ,
Scilicet: *Ars longa est, vitæque nostra brevis.*

Architectus.

Vado mori, cælum *domus* est æterna Tonantis,
Hanc contemplari gestio, vado mori.

Pictor.

Vado mori, vivam *pinnxi* morientis ideam.
Effigies ero nunc optima, vado mori.

Sculptor.

Vado mori, *sculpsi* vultus & spicula mortis.
Mors mihi vult pretium solvere, vado mori.

Statuarius.

Vado mori, solido statui de marmore mortem,
Quam nunc marmoream sentio, vado mori.

Gemmarius.

Vado mori, duri *tex* est adamantina Fati,
Hanc mollire nequis ars mea, vado mori.

Horologarius.

Vado mori, spero, quod erit tunc hora secunda,
Cum Mors me solvet corpore, vado mori.

OPIFICES.

Mors.

EX operis opifex vivis manuūmque labore,
Nunc nostra debes occubuisse manu,

Faber lignarius.

Vado mori, sum truncus iners & inutile lignum,
Et tantūm tineis prodero, vado mori.

Faber murarius.

Vado mori, murus non est tam durus & asper,
Quem mors non valeat rumpere, vado mori.

Lapicida.

Vado mori latomus, mors est immobile saxum,
Desperans hebeti cuspide vado mori.

Faber ferrarius.

Vado mori, ferrum mollitur ab igne domanti,
Mors est molliri nescia, vado mori.

Sartor.

Vado mori Sartor, mors vitæ per breve filum
Decidit dirâ forfice, vado mori.

Sutor.

Vado mori Sutor, nigra pix mihi semper adhæsit
A pice me servent Numinæ! vado mori.

Textor.

Vado mori textor, nequeo diducere telam,
Abrupto vitæ stamine vado mori.

Scrinarius.

Vado mori, tumbam fabricanti mors mihi dixit
Arcem, quam fabricas, incole! vado mori.

Vietor

Vietor.

Vado mori Bacchi famulus, deprensus in aula
Diogenis, valeant vascula! vado mori.

Molitor.

Vado mori *Molitor*, furfur, far sæpè lucrabar.
Omne lucrum cessat, sta mola! vado mori.

Pistor.

Vado mori *Pistor*; si quis vult pinsere, pinsat!
Panem non comedam postmodò, vado mori.

Lanius.

Vado mori, *lanii vitulos*, mors aspera mactat
Nos lanios, mortis victima vado mori.

Figulus.

Vado mori *Figulus*, testas à stercore feci.
Mors facit è figulo stercora, vado mori.

Alutarius.

Vado mori, pelles tractavi semper olentes.
Nunc ego pellis ero folidida, vado mori.

Vitriarius.

Vado mori, leni *vitrum* breve frangitur istud.
Vita brevis vitrum debile, vado mori.

Metallarius.

Vado mori, venas avidus reperire metalli
Scrutabor terræ viscera, vado mori.

Scandularius.

Vado mori, tecto me mors aspexit in alto;
Ex alto præceps culmine vado mori.

Caminarius.

Vado mori, Stygios nolim purgare caminos,
Crux sacrosancta fuget Dæmona, vado mori.

STATUS MILITARIS.

Mors.

Nunc telis opus est, ut belli fulmina sternam,
Nè superet vires Martia turba meas.
Nulla parte tamen nostrum despero triumphum,
Quamvis Mars pugiles adjuvet ipse suos.

CASTRA PRÆEUNTES.

Mors.

Designatores, qui semper castra præitis,
Castra secuturis ponite militibus.

Belli Commissarius.

Vado mori belli bellatorūmque revisor,
Mors pro me revides agmina, vado mori.

Præfector (d) Castrametatorum.

Vado mori, assignat mors diversoria turbis,
His cælos, aliis tartara, vado mori.

Castrametator. (e)

Vado mori; miror, quò me mors ire jubebit.
Hospitium spero nobile, vado mori.

Tutor (f) Castrametatoris.

Vado mori; velut agnus ovem tutatur ab urso,
Sic ego messorem protego, vado mori.

CASTRA.

Mors.

Bellonæ pugiles, totum qui vincitis orbem,
Discite, quod mortem vincere nemo potest.

Gene-

(d) Der Regiments-Quartier-Meister. (e) Der Compagnie-Meister, oder Fourier. (f) Der Fourier-Schuß.

Generalissimus.

Vado mori Martis director, duxque supremus.
Nunc cum morte miser dimico, vado mori.

Generalis.

Vado mori, spes nulla fugæ, spes nulla triumphi.
Cogor me morti tradere, vado mori.

Chiliarchus.

Vado mori, sed corde bono; sic strenua mortem
Vincimus heroum pectora, vado mori.

Vice-Chiliarchus.

Vado mori, quandoque sibi Mars otia quærit,
Mors sua continuat prælia, vado mori.

Supremus vigilum Præfctus.

Vado mori, frustra custodit limina miles,
Mors intrat spreto milite, vado mori.

Centurio.

Vado mori, centum pro centurione phalanges
Si pugnant, tutus non ero, vado mori.

Locumtenens.

Vado mori, nequeo constare locumque tenere.
Cedo locum tuis, & modò vado mori.

Signifer.

Vado mori, mors arma movet, moriemur in armis:
Vexillum mortis præfero, vado mori.

Adjutor. (g)

Vado mori, brevis est hodie data tessera (b) nobis,
Hæc duo nimirum verbula: vado mori.

Taxiarcha.

Vado mori, miles per me rudis arma docetur,
Nunc eadem doceo ponere, vado mori.

Decurio exemptus.

Vado mori, retuli morientum fata regenti,
Nunc alius referat, quod modo vado mori.

Scriba Castrensis.

Vado mori, mors quemque legit, mors agmina
lustrat,
Auditio scribare nomine vado mori.

Decurio.

Vado mori magno cum stipite, plaudito miles!
Non tua decurram tergora, vado mori.

Tubicen.

Vado mori tubicen, pugiles ad bella ciebam,
Nunc hos ad funus convoco, vado mori.

Tibicen.

Vado mori, tibi Di, tibi Di, mea tibia dicit.
Di nequeunt mortem vincere, vado mori.

Tympanista.

Vado mori, tu-mu-lum, tu-mu-lum, mea tympana
clamant.

Mors mea turbavit tympana, vado mori.

Miles exemptus.

Vado mori, me Stentoreo vigil evocat ore,
Circitor ater adest, cedite! vado mori.

Miles Gregarius.

Vado mori, frustra consurgere nitor in altum.
Sors vel mors obistas aspera, vado mori.

Eques.

Eques.

Vado mori, portatus equō pernīce volābam,
Nunc miser in merda decubo, vado mori.

Pedes.

Vado mori, peshæret iners, non assequor agmen,
Vix genibus possum repere, vado mori.

Volo.

Vado mori, *volo* sum, sed nudo nomine tantūm,
Non *volo*, sed verè *debeo*, vado mori.

Miles obligatus.

Vado mori, frustrà dimitti sēpe rogavi,
Nunc eportari *debeo*, vado mori.

Excubitor.

Vado mori, suūnum dedit hora novissima signum,
Me statione mea solvite! vado mori.

Explorator.

Vado mori, vigiles iter exploravimus omne,
Mortis ubique latent retia, vado mori.

Præco castrensis.

Vado mori, benè si morimur, victoria nostra est,
Et victis dabitur laurea, vado mori.

Miles in acie.

Vado mori, tormenta tonant, Mars fulminat ense,
Sperandum nihil est hīc, nisi vado mori.

Vulneratus.

Vado mori, sēvum feriit præcordia telum,
Lethali tactus vulnere, vado mori.

Veteranus.

Vado mori, merces veterani militis hæc est:
Cūm tandem seniō langueo, vado mori.

Conscriptor.

Vado mori , pugiles oblatō scribimus aurō,
Mors omnes audet cogere , vado mori.

Neo-Conscriptus.

Vado mori ; perii , me Mars nequissimus emit ,
Ut morti posset vendere , vado mori.

Miles dimissus.

Vado mori , Martis jam sum deletus in Albo ,
Nunc meado morti nomina , vado mori.

CASTRA SEQUENTES.

Mors.

*N*ulla fides pietasque viris , qui castra sequuntur ,
Indigni vitā , si Maro vera canit.

Auditor.

Vado mori , culpas prælegi sæpe reorum ,
Nunc delicta legam propria , vado mori.

Annonæ Præfctus.

Vado mori , moritura fame sint castra , licebit ;
Annonæ curam negligo , vado mori.

Curruum Præfctus.

Vado mori , nos plena trahunt ad Tartara plastra ,
Aurigæ cursum flecite ! vado mori.

Medicus Castrensis.

Vado mori , intrepidè mors , ut medicina , bibenda est ,

Sic omnis cedit nausea , vado mori.

Chirurgus Castrensis.

Vado mori , demens alios curare labore ,
Ipse mei curam non gero , vado mori.

Apothe-

Apothecarius Castrensis.

Vado mori, contra mortem valitura medela
In nulla restat pixide, vado mori.

Miles Invalidus.

Vado mori, castris Bellonæ dicor ineptus;
Mortis castra petam congrua, vado mori.

Transfuga.

Vado mori; spretum dum deterso transfuga Martem,
In mortis fauces involo, vado mori.

Præfeciūs carcerum.

Vado mori; mundus nihil est, nisi carcer, in illo
Nos onerant mortis vincula, vado mori.

Carnifex.

Vado mori, resti multorum guttura strinxi,
Nunc quoque constricto gutture vado mori.

Virgifer.

Vado mori; virgis mallem mea tergora cædi,
Quam per iter mortis currere, vado mori.

Caupo Castrensis.

Vado mori, praxis mea vinum miscuit undis,
Undas in flammam fundite! vado mori.

SEXUS FOEMINEUS.

Mors.

FOemina se factam de costa jactat Adami,
Non nisi de terra cum sit origo viri.
Falleris, ô fragilis sexus! quia terra fuisti,
Nè dubita, limus terraque rursus eris.

MO-

MONIALES.

Mors.

Ordine Vestales primo properate puellæ !
Estis fœminei gloria prima chori,

Abbatissa.

Vado mori sacræ , mea cura , valete Sorores ,
Mater vestra fui provida , vado mori.

Priorissa.

Vado mori ; quædam *claustrum* neglexit apertum ,
Ut mors intraret pallida , vado mori.

Sub-Priorissa.

Vado mori , mecum mors Completoria psallit ,
Hoc cantu vitam compleo , vado mori.

Senior.

Vado mori , fatuis non sum de quinque puellis ,
Ardentem porto lampada , vado mori.

Antistes Cellæ.

Vado mori , mors est in cella lugubre spectrum .
Vidi , dum volui promere , vado mori.

Antistes culinæ.

Vado mori ; peream , si mors non regnet in olla .
Tangere te vereor cacabe ! vado mori.

Magistra Novitiarum.

Vado mori , vobis hoc dogma relinquō , puellæ !
Absque metu Lethi vivite ! vado mori.

Ostiaria.

Vado mori , facilis decessio , pallida Lethi
Nocte diēque patent ostia , vado mori.

Monia-

Monialis.

Vado mori, claustrō vovi conclusa manere,
Mors rupit claustrum, votaque, vado mori.

Novitia.

Vado mori, vitam *tyrociniumque* vicissim
Ante diem fixum termino, vado mori.

SÆCULARES.

Mors.

FOeminei flores! si sitis sidera terræ,
Extinguam vestras mors inopina faces.

Imperatrix.

Vado mori, summi conjux augusta Monarchæ,
Nec veniam à Fatis *impetro*, vado mori.

Regina.

Vado mori, mors est *via regia*, cogitur illam
Rex cum Regina tendere, vado mori.

Electrix.

Vado mori *Electrix*, sic mundi gloria transit,
E lecto ad lethum transmeo, vado mori.

Ducissa.

Vado mori, metam mors omnes ducit ad unam;
Raptat nolentes impete, vado mori.

Principissa.

Vado mori, Jove digna fui, nunc putre cadaver
Aspectu quemvis terreo, vado mori.

Comitissa.

Vado mori, duce morte nigra; ter fausta viatrix!
Cui comes est virtus candida, vado mori.

Bare-

Baronissa.

Vado mori, cum falce tua mors sæva quid audes?
Cum *lolio sternis lilia*, vado mori.

Matrona Nobilis.

Vado mori; si spectat avis (*i*) Junonia crura,
Mox pudibunda cadunt sidera, vado mori.

Doctrrix.

Vado mori *doctrrix*, nil me *doctrina* tuetur,
Nam mors est major Pallade, vado mori.

Prætorissa.

Vado mori, ô duram sortem! mors rustica nescit
Quòd sim *Prætoris fæmina*, vado mori.

Domina.

Vado mori, mortem *dominam* cognoscimus omnes,
Illi imperio subdita vado mori.

Civis.

Vado mori, civis fuerim, vel sponsa coloni;
Mors utramque vocas, utraque vado mori.

Rustica.

Vado mori, tua te Corydon (*k*) Amaryllis amavi.
Nunc, si vis, aliam quærito!, vado mori.

Ancilla.

Vado mori, dominam socians *ancilla* sequebar,
Me tacito sequitur mors pede, vado mori.

Vidua.

Vado mori, spes vana novum spondebat amantem,
Mors vetuit rursum nubere, vado mori.

Uxor.

Vado mori, sponso supremum dico Valeto,
Me nolens à te separo, vado mori. *Spon-*

(*i*) *Pavo.* (*k*) *Nomina rustici & rusticae ex Virgilio.*

Sponsa.

Vado mori, *thalamum* dum sternebatis *Amores*,
Cæpit mors *tumulum* sternere, vado mori.

Puella formosa.

Vado mori, spes vestra, proci, frustrata fefellit,
Me mors abducit squallida, vado mori.

Puella deformis.

Vado mori; quia pulchra negor, fugit omnis amator
Mors me sola cupit ducere, vado mori.

Cantatrix.

Vado mori; philomela fui, nunc instar alaudæ
Conscendam modulans æthera, vado mori.

Saltatrix.

Vado mori, saltus semper mea vita fuerunt,
Hic nunc saltus erit mors mea, vado mori.

Netrix.

Vado mori *netrix*; nunc sic ego vulnero linum,
Ut mea mors pungit viscera, vado mori.

Lotrix.

Vado mori; quis nunc indusia vestra lavabit,
Si *lotrix* celeri funere vado mori?

Potrix.

Vado mori *potrix*; hoc vos rogo numina supplex,
Ut poter vestro nectare, vado mori.

Altercatrix.

Vado mori, *Socratis Xantippe*, plaudere marite!
Pax tibi nunc dabitur, *pix mihi*, vado mori.

Nutrix.

Vado mori, nec virgo fui, nec mater habebar.
Quid fuerim, nolo prodere, vado mori.

Mere-

Meretrix.

Vado mori *meretrix*, Venus Orci ducit ad umbras,
Hæc scorti *merces* ultima, vado mori.

Pellec.

Vado mori, non nupta viro, sed adultera *pellec*.
Uxor ova, *pulsa pellice*! vado mori.

Saga.

Vado mori, Stygiis ululat bubonibus æther,
In nigra regna vocor noctua, vado mori.

Furia.

Vado mori, Furiæ tres esse feruntur in Orco,
Efficiam quartam mortua, vado mori.

QUODLIBET.

Mors.

HAec tenus ad metam processimus ordine nullo;
Sed nunc quod superest, ordine mortis eat.

Politicus.

Vado mori, *Simula*, fuerat mea regula vitæ,
Mors simulare nequit seria, vado mori.

Criticus.

Vado mori, mors & Criticus sunt, credo, Sodales;
Ambo solent quemvis carpere, vado mori.

Scientificus.

Vado mori; studium, quod non de Numinе sentit,
Exerior vanum, dum modò vado mori.

Idiota.

Vado mori, Deus ipse viro cum simplice vadit;
Hoc mesolatur, dum modò vado mori.

Domi-

Dominus.

Vado mori, fuerat me servus ubique secutus,
Solus iter longum nunc eo, vado mori.

Servus.

Vado mori, nequeo dominis servire duobus;
Cum duo sint, unum desero, vado mori.

Dives.

Vado mori, mea jam dormivi somnia dives,
Et nihil in manibus palpito, vado mori.

Panper.

Vado mori, dempto vix quidquam munere vita
Possideo; rapit hanc mors quoque, vado mori.

Epulo.

Vado mori, Bacchus lenta pinguedine lassus,
Vermibus ampla dabo prandia, vado mori.

Iromastix. (1)

Vado mori, nostros Satrapæ dominamur in Iros,
Sed mors est noster Satrapa, vado mori.

Helluo.

Vado mori, quidquid tellus alit, æquor, & aër,
Omnia, mors inquit, devoro; vado mori.

Mendicus.

Vado mori, monstrum mors est immite ferumque;
Oro stipem, pellor stipite, vado mori.

Prodigus.

Vado mori, mea cura fuit, nè litiget hæres,
Hoc à me dives discito! vado mori.

D

Ava-

(1) Monsieur Bettelz Vogt.

Avarus.

Vado mori, vitam vel opes mors exigit, illam
Malo, quām nummos perdere, vado mori.

Creditor.

Vado mori, multis credebam multa per annos,
Mors non vult horam credere, vado mori.

Debitor.

Vado mori, multum teneor, mors omnia solvit.
Creditor hanc nummis exige! vado mori.

Tyrannus.

Vado mori, cicures fiunt in morte *tyranni*,
Cor & mens trepidant anxia, vado mori.

Mancipium.

Vado mori, servum me mors dimittit ovantem
Invitō dominō; jubilo, vado mori.

Amator.

Vado mori, valeas, mea lux, mea vita! videbo
Non ego te posthac, cur? quia vado mori.

Scortator.

Vado mori, discede Venus maledictaque pellex!
Per te morte cado duplice, vado mori.

Lusor.

Vado mori *lusor*, pro vitæ munere lusi,
Jacta est infelix *alea*, vado mori.

Potor.

Vado mori, vinō noctūque diūque madebam,
Nunc Lethaea (*m*) bibam flumina, vado mori.

Fnr.

Fur.

Vado mori, funem fugit fur unus & alter,
Morte tamen periit vindice, vado mori.

Prædo.

Vado mori, pagos mors *deprædatur* & urbes,
Nec via tuta manet publica, vado mori.

Latro.

Vado mori, trepidat coram latrone viator,
Coram morte *latro* contremo, vado mori.

Carnifex.

Vado mori, Mortis stat *carnificina* cuivis
Exspectanda semel, pœnáque, vado mori.

Lector.

Vado mori, fures ego latronésque ligavi,
Nunc à Morte *ligor*, ceu latro, vado mori.

Reus ad supplicium eductus.

Vado mori, densæ concurrunt undique turmæ;
Spectatum veniunt, quomodo vado mori.

BONI ET MALI.

Mors.

STerno bonos, & sterno malos, sed dispare Letho;
Nam sum vita bonis, exitiūmque malis.

Justus.

Vado mori justus, cœli tensurus ad axes,
Mors justi vitæ janua, vado mori.

Impius.

Vado mori, Stygias peccator iturus ad umbras.
Mors peccatorum pessima, vado mori.

Pœnitens.

Vado mori , fletem me crima respice Numen !
Nec cor contritum despice , vado mori.

Desperabundus.

Vado mori , vivum raperent me Tartara , vellem.
Non datur à cælo gratia , vado mori.

MOBILES.

Mors.

VOs , quos Mercurius nunquam sinit esse quietos ,
Nec dabitur vobis , me veniente , quies.

Præfectus (n) Veredorum.

Vado mori , rapidis properat mors vecta veredis , (o)
Me cita diripiunt effeda , (p) vado mori.

Veredarius. (q)

Vado mori , lætos clanxisti sæpe triumphos ;
Nunc , ô corniculum , concine : vado mori.

Tabellarius.

Vado mori , nigræ si quis vult scribere morti ,
Huc ad me tabulas mittito , vado mori.

Cursor.

Vado mori cursor , non est mora libera nobis ,
Mors urgens est à tergore , vado mori.

Viator.

Vado mori , modò collegi mea vasa viator ,
Hæc via restat adhuc ultima , vado mori.

Pere-

(n) Postmeister. (o) Veredus. Posseßferd. (p) Eßendum
Post & Wagen. (q) Postillion.

Peregrinator.

Vado mori, terram tandem contingo petitam,
Salve cœlestis patria! vado mori.

Vagator.

Vado mori, nequeo stabili consistere terra,
Sole novo semper gaudeo, vado mori.

Irrequietus.

Vado mori, poteram vivens *ens mobile* dici:
Mobile fit fixum, cùm modò vado mori.

Garrulus.

Vado mori, nunquam volui potuique silere,
Os tandem nolens opprimo, vado mori.

Exul.

Vado mori, patriâ pepulit me Principis ira,
Mors fugat ex omni climate, vado mori.

Hiftrio.

Vado mori, scena me mors deprêndit in ipsa,
Spectator valeas, *Hiftrio* vado mori.

Comœdus.

Vado mori, tragicum cepit comœdia finem,
Mors funestavit gaudia, vado mori.

Ardelio. (r)

Vado mori, novitatis amans, nova multa videbo,
Quorum mors monstrat plurima, vado mori.

Musicus Rusticorum.

Vado mori, modulor, cum Nisa (s) Mopsule salta,
Hospa: tolle pedem Nisula! vado mori.

(r) Ein fürwitziger Mensch.

(s) *Nomina rusticæ & rusticæ ex Virgilie.*

AGMEN INVALIDUM.

Mors.

VOs ô languentes ! ad me curanda venite
Agmina, sum vestris mors medicina malis.

Superbus.

Vado mori, quòd sim, credebam, *nescio quantus* !
Cerno, quod pulvis sim modò, vado mori.

Stultus.

Vado mori, crebro sinè causa *morio risi*,
Sed nunc cum causa lugeo, vado mori.

Cæcus.

Vado mori *cæcus*, sed cœco lumine mortis
Cerno viam, & recto tramite vado mori.

Surdus.

Vado mori *surdus*, surda tamen aure vocantis
Lethi clamores audio, vado mori.

Mutus.

Vado mori *mutus*, me nîl dicente loquuntur
Obvia quôque die funera, vado mori.

Claudus.

Vado mori *claudus*, non est properare necesse,
Ad metam veniam sat citò, vado mori.

Podagricus.

Vado mori, frustrà, *Noli me tangere*, clamo :
Mors mea contrectat viscera, vado mori.

ÆTA

ÆTATES.

Mors.

Turpe senex miles, (t) nec quadrata d'arma puellus;
Ad mea castra senex, vir, juvenis que quadrant.

Senex.

Vado mori vita satur annorumque, sepulchrum
Inquiero curvo tergore, vado mori.

Vetula.

Vado mori; cecidere rosae, frondesque, comæque,
Rugis & spinis livida vado mori.

Vir.

Vado mori, vir eram, & vires robustus habebam,
Nunc cecidit virtus mascula, vado mori.

Fæmina.

Vado mori, de carne viri sum sumpta virago,
Cum mare terra tamen nunc ero, vado mori.

Juvenis.

Vado mori; verax est Echo. Quæro, juventus
Quid sit; ventus, ait garrula, vado mori.

Virgo nubilis.

Vado mori virgo, tua tela repone Cupido!
Succumbo morti, non tibi, vado mori.

Puer.

Vado mori, pueros fera pessima devorat omnes.
Credo, quod mors est haec fera, vado mori.

Puella.

Vado mori primò marcescens flosculus ævò:
Vix nascens orior, cum modò vado mori.

RELIGIONES.

Mors.

Plures, non omnes, agnoscunt Numen in astris
Sed mors à nulla Religione negor.

Christianus.

Vado mori, Christum colui: qui credit in illum,
Vivet in æternum, sic ego vado mori.

Iudæus.

Vado mori, Christum Messiam pernego verum:
Si tamen is fuerit, væ mihi! vado mori.

Mahometanus.

Vado mori, summum Mahometum credo prophetam:
Sed si non fuerit, væ mihi! vado mori.

Ethnicus.

Vado mori cultor centum vel mille Deorum:
Cujus opem poscam nunc, ubi vado mori?

Atheus.

Vado mori; cœlos, erebūmque, Deūmque negavi.
An dentur, dubito nunc, ubi vado mori.

Indifferentia.

Vado mori, quodcunque lubet mihi credere, credo:
Sed modò non vado, quò volo, vado mori.

Homo Bestialis.

Vado mori, veluti sine Numine bestia vixi,
Nunc etiam veluti bestia vado mori.

APPEN-

APPENDIX.

Mors.

Appendice sua quævis Processio gaudet.
Quod super est ergo , syrmatis esto locō.

Spurius Legitimatus.

Vado mori *Spurius* certo sine patre creatus:
Mors me legitimat , dum modò vado mori.

Clepsidrarius.

Vado mori, domini nunc est disponere tempus,
Effluxit vitæ *clepsydra*, vado mori.

Muscipularius.

Vado mori; mures ego, mors me callida cepit ,
Captus sum tecum muscle , vado mori.

Statista.

Vado mori, sic norma statūs ratiōque requirit ,
Méque lubens statui commodo , vado mori.

Modista.

Vado mori, me mille modis aptare sciebam .
Quem mors induxit, non amo , vado mori.

Agaso.

Vado mori ; lentis est sarcina saccus asellis ,
Mors es agasonum sarcina , vado mori.

Magister linguarum.

Vado mori *doctor linguarum*; nulla ferocem
Lingua potest mortem flectere , vado mori.

Gladiator.

Vado mori, me mors in arenam provocat. Eheu !
Comparere miser debo , vado mori.

Saltator.

Vado mori, varias didici, docuique choreas,
Nunc cum morte novam saltito, vado mori.

Natator.

Vado mori, nabam securus in amne secundo,
Contra torrentem dum nato, vado mori.

Ludimagister.

Vado mori, pueros A. B. docuique puellas,
Mors me Ce De docet, cum modò vado mori.

Ædituus.

Vado mori, lucrum fecit mihi mors aliorum,
ipse lucrum mortis sum modò, vado mori.

Vespillo.

Vado mori mortis servus Vespillo fidelis,
Hæc sunt servitii præmia, vado mori.

**EXHORTATIO
AD MEMORIAM MORTIS.**

*V*Ado mori, rogito, ne sit tibi nausea, Lector!
Nescis sæpè satis dicere, vado mori.

*V*Ado mori, binas has in breviaria vestra
Presbyteri voces scribite, vado mori.

*V*Ado mori, quicunque tuum latus instruis armis,
Illas in chalybem sculpiro: vado mori.

*V*Ado mori, calatum scriptor dum scindis & aptas,
Tenta, num possis scribere, vado mori.

*V*Ado mori, compti juvenes, comptæque puellæ
In speculis vestris pingite: vado mori.

Vado

Vado mori, referat voces has janua quævis:

Egrediens, intrans, perlege: *vado mori*.

Vado mori, si quis, quò vadas, scire requirat,
Respondens illi dicio: *vado mori*.

Vado mori, dicat, quicunque perambulat orbem:
Mortis ubique patet semita, *vado mori*.

Vado mori, dic quisque, mari qui credis aquoso.
Vela volant, spumant æquora, *vado mori*.

Vado mori, repetas, quisquis vitalibus auris
Vesceris, intereunt omnia, *vado mori*.

Vado mori, centum quid vivere proderit annis?
Annis si centum vixero, *vado mori*.

Vado mori, vani quid prodest gloria mundi?
Quid prosunt mundi gaudia? *vado mori*.

Vado mori, quid opes, & quid prodestis honores?
Nil potero mecum sumere, *vado mori*.

Vado mori, dicas, cum stratis manè resurgis:
Dic, cùm strata petis vespere, *vado mori*.

Vado mori, dic sospes, in hac nunc luce labore:
Fortassis funus cras ero, *vado mori*.

Vado mori, plangas, cum lecto sternaris æger.
Mors sua præmittit nuntia, *vado mori*.

Vado mori, miserere mei DEUS ætheris alti,
Peccavi, veniam da mihi, *vado mori*.

Vado mori, tu memorientem suscipe JESU!
In tua me trado vulnera, *vado mori*.

Vado mori, tibi vivo, tibi spes unica, fido
Christe! tibi vixi, nunc tibi *vado mori*.

DIALOGUS FINALIS. MORTEM INTER ET POETAM.

Poëta.

DE regno , mors dura , tuo jam carmina feci .
Dic modò , versiculi quid meruere mei ?

Mors.

Hoc tibi munus erit: Critici tua Carmina carpent ,
Próque labore tuo viætima mortis eris.

Poëta.

Censurent Critici , carpant mea carmina Momi ,
Nil equidem curo , tu modò parce mihi !

Mors.

Quomodo , vis , parcam? mendax in veribus esse .
Parcere me nulli nonne Poëta doces ?

Poëta.

Magni mendaces debent audire Poëtæ ,
Sique mihi parces , maximus esse volo.

Mors.

Mentiri vobis concessit Apollo Poëtis ,
Sed modò nil falsum te cecinisse scias.

Poëta.

O vitæ rectrix ! totum revocabo poëma ,
Si mea servatrix esse benigna velis.

Mors.

Vanas mitte preces , & te disponito morti :
Arcum solvo , vibro spicula , vade mori.

Poëta.

Hunc vos , ô Musæ , vestrum tumulate Poëtam .
Et signate brevi saxa thorūmque metro .

EPI-

E P I T A P H I U M A U T H O R I S.

Hic *Lapicida* jacet, quem Mors homicida
necavit:

Sic nunc ille lapis, Mors lapicida fuit.



C O L L O Q U I U M M O R T I S E T Z O I L I .

Mors.

ZOile, dic, quid habes, quòd & huc illúcque
revolvis?

Ad quid cervicem concutis, atque caput?

Zoilus.

Hic ego versiculos neonati lustro Poëtæ,

In quibus invenio nil nisi vado mori.

Mors.

Hæc est materies, me judice, versibus apta.

Vita quid est hominis? nil nisi vado mori.

Zoilus.

Ridetur, chordâ qui semper oberrat eâdem :

Semper idem metrum censeo ridiculum.

Mors.

Carmina nè dicas eadem; cùm singula sensum,

Singula conceptum continuere novum.

Zoilus.

Prolixus nimis est, ad quid tot carmina prosunt?

Qui brevis & bonus est, ille Poëta placet.

Mors.

Mors.

Zoile deliras ! versu conclusit in uno
Unumquemque statum , sat fuit ergo brevis.

Zoilus.

Lectio lecta placet , decies repetita placebit ,
Plus quam millenæ displicuere vices.

Mors.

Displicuere tibi , non displicuere perito
Lectori , quamvis Myrias (u) una foret.

Zoilus.

Ad quid metra coquo , qui non intelligit illa ,
Vel tibi sartori , vel tibi cerdo (x) facit ?

Mors.

De bove Virgilius , de rana lusit Homerus ;
Nec , quid sit versus , rana scit , & neque bos.

Zoilus.

Ex tot versiculis laudabitur unus & alter .
Exiguam laudem plurima metra ferent.

Mors.

Cum tot sint homines , est copia parva bonorum
Zoile ! deque tuis vix valet una comis.

Zoilus.

Ergo fecisset melius , satiusque fuisset ,
Carmina si non tot , sed bona pauca forent.

Mors.

Debet adhuc nasci post saecula mille Poeta ,
Cujus non critices carmina , Mome dicax !

Zoi.

(u) Eine Zahl von zehn tausenden.

(x) Schuhflicker.

Zoilus.

Vis & acumen inest variis, plausumque merentur:
Sit tamen inspicies, frigida multa leges.

Mors.

Frigida materies mors est, gaudentque Poetæ
Carmine materiæ conveniente suæ.

Zoilus.

Præterea furti reus est; nam carmina legi,
Quorum pars finis principiumque fuit.

Mors.

Mentiris nebulo! titulus fuit editus idem;
Distichon, aut idem nullibi versus erit.

Zoilus.

Si nil surripuit, vel ob illud carpo Poetam,
Quod tot versiculi non meminere mei.

Mors.

Arguis id recte, sed & hoc ignosce Poetæ,
Me quoniam memorem supplicat esse tui.

Zoilus.

Non ideo de vate queror, nec carmina culpo,
Ut mors obliti munera vatis agas.

Mors.

Audivi vatum de te scelerate querelas,
Nunc igitur pœnas suppliciumque dabis.

Zoilus.

Credendum nihil est mendacibus usque Poetis.
Vatum, si qua fuit, falsa querela fuit.

Mors.

Ipse Poetarum de te queritur Apollo,
Utque semel tollam te, scelus, usque rogar;

Zoilus.

Zoilus.

Languerent artes, si non ego Zoilus essem,
Utile me quidam dixerat esse malum.

Mors.

Impia lingua file! quin mergere Ditis in umbras
Vatibus invisum cœlitibusque caput!

Zoilus.

Ergo miser moriar, sed vos, ô quæso, Poëtæ,
Versiculô tumulum condecorate meum!

EPITAPHIUM ZOILI.

Zoilus huc cecidit, qui vatum carmina
rosit.

Nunc à vermiculis roditur iste
canis.

*Præcedentis Epitaphii correctio,
Addita à F. P. L.*

Zoilus baud cecidit, quamvis cecidisse videri
Ille potest; Vatum carmina rodit adhuc.
Mortuus esto tamen; cineres à morte supersunt,
Ex illis Phoenix Zoilus usque rodit.

F I N I S.

